

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronimus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[De Resurrectione Domini Sermo]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A per soliditatem mellis uenei ac mutabilitatem, quasi in modum tubæ de ramo arboris moueri potest: ideo sambuca dicitur: quia æstatis tempore fieri potest: & usque ad frigoris tempus durare potest. Arescit enim secundum communem consuetudinem. Typus eorum qui dominum in bonis operibus laudant, & in tempore frigoris, id est, tribulationum uel persecutionis laudare eum non possunt propter infidelitatem uitæ & abundantiam diuitiarum suarum. Psalterium quoque Hebraice nablon: Græce autem psalterium: Latine autem laudatorium dicitur. De quo in quinquagesimo quarto psalmo dicitur: Exurge psalterium cum cithara. Est autem cum chordis decem: sicut scriptum est: In psalterio decem chordarum psallam tibi: forma quadrata. Psalterium itaque cum decem chordis, id est, cum decem uerbis legis contritis contra omnem hæresim, quadrata per quatuor euangelia potest intelligi. Tympanum paucis uerbis explicari potest: quæ minimares est, eo quod in manu mulieris portari possit: sicut scriptum est in Exodo: Sumpsit autem Maria prophetes soror Aaron tympanum in manu sua: & est minima sapientia legis ueteris in manu Iudeorum. Synagoga antiquis temporibus fuit chorus quoque simplex pellis cum duabus cicutis areis, & per primam inspiratur, per secundam uocem emittit. Typus populi prioris qui angustam intelligentiam legis acceperat: & per angustam uoluntatem prædicationis omnia infirmiter prædicauit. Si autem terra sapienter ac diligenter respiciamus, & spiritualiter ac mystice intelligenda sunt.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Nullam hic umbram Hieronymiani pectoris possis deprehendere.
Et in alijs codicibus alio atque alio titulo prænotatur.

DE RESURRECTIONE DOMINI SERMO.



B Xulta cælum, & in læticia esto terra: dies iste amplius nobis ex sepulchro radiauit quæ de sole refulsit. O ueternus, quia resolutus est: gaudeat, quia uisitatus est: resulet, quia ignotam lucem post sæcula longa uidit, & in profunda noctis caligine respirauit. O pulchra lux quæ de candido cæli fastigio promicasti: & inter fluentia purpurea sedentes in tenebris, & in umbra mortis subita claritate uestisti. Cofestim igitur æterna nox infernorum Christo descendente resplenduit: siluit stridor ille lugentium, dirupta ceciderunt uincula damnatorum: attonitæ mentes obstupuerunt tortorum: omnis simul officina impia contremuit cum Christum repente in suis sedibus uidit. Mox igitur ferruginei ianitores descendente Christo, talia inter se cæci per umbrosa silentia cum umbra submurmurant: Quisnam est iste terribilis, & miro splendore coruscus? Nunquã talem noster excepit tartarus: Nunquã in nostra cauerna talem euomuit mundus: inuasor est iste, non debitor: & fractor est, non precator: iudicem uidemus non supplicem: pugnare uenit non succumbere, eripere non manere. Vbi nam putatis socij nostri ac ianitores dormiebant cum ille debellator claustra uexabat? Iste si reus esset, audax non esset. Si eum aliqua dilecta fuscaret, nunquã fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si deus est, ut quid huc uenit? Si homo est, quid presumpsit? Si deus, quid in sepulchro facit? Si homo, quare captiuos soluit? Nunquid nam cum authore nostro fœdus composuit? An forte & ipsum aggressus uicit, & sic ad nostra regna transiuit? Certe mortuus, certe uictus erat. Illusus est preliator noster in mundo, nesciuit quia hic stragem procuraret inferno. O crux illa fallens gaudia nostra, & parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum euerimur. Perijt potestas illa cunctis semper populis formidata. Nullus sub sede nostra captiuus palpita uit. En quod gembundum est exultat. Non iam audiuntur antiqui fletus, nulli iam resonant eiulatus, omnis mugitus gementium obmutuit. Putasne iste sine nostro redibit exitio? Nemo ad nos unquã uiuus intrauit, nemo sic audax fuit, nemo sic carnifices terruit: nunquã in hac habitatione nigra semper & fuligine cæca iucundum lumen apparuit. An forte sol de mundo migravit. Sed nec cælum nobis astraque pariet: & tamẽ infernus lucet. Quid faciemus? Quo couertermur contra istum. Cruentas domos & obtinere nostræ cauernæ portarum custodias non ualemus, male intrauimus, tantam lucem obtenebrare nequiuimus, opprimere tanta uirtute perditum non ualemus, nostra quoque urgeri colla conspiciamus, & de nostro insuper interitu formidamus. Quid nobis e cælo. Plagis recentioribus ultra iustam ultionem flagellamur: nocte nostra contenti fuimus: antris

C nostris occultabamur. Quare radijs solis prodimur? quare uiolentia disturbamur? quare in nostris sedibus captiuamur? Mox igitur Christus in ipsos crudeles ministros, poenarum acies dirigit, atq; implacabiles turmas, framea diuina cōcidit: fremunt diri sub tortore carnifices, & rabiosis adacti stridoribus cōtabescunt. Ipsa quoq; antra ferrei cubilis intrante fortissimo, a fortiore aeternis nexibus colligantur. Hoc nāq; ita futurum dñs ipse promiserat. dicēs: Nemo intrat in domum fortis, & uasa eius diripit, nisi prius alligauerit fortem, & sic uasa eius diripiet. Tristes igitur mox lugentesq; diuturno squalore turbæ populiq; uexati concurrunt: & rectoris sui uestigijs aduoluuntur. Ecce apostolica dicta probantur, in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Mox igitur captivæ animæ de custodijs relaxatæ, a tartaro prodierunt, regnaq; cœlorum ista supplicatione deplorant. Venisti tandem clementissime Iesu, succurre iam & parce fessis: Nunc Christe sauas extingue minas, iam miserandos resolue mugitus: redemisti uiuos cruce tua: eripe mortuos morte tua. Pari nobiscum sorte mundus ipse interierat, & ad aduentum tuum omnis creatura pendebat: tibi nostra tormenta suspirabant, te semper infernus iste pauebat. Dum hic es absolue reos, dum ascenderis defende tuos: dum hic es uniuersa claustra soluantur, dum ascenderis non claudantur. Tu solus caput draconis comminuere potuisti, tu portas æreas & uectes ferreos uoluisti cōterere. Pateat quæsumus precantibus ianua: lux non desit pia: & si redieris ad corpus maiestate tua, non priuetur infernus potentia tua. Post auditas itaq; preces, post compositas leges, post demersos in altæ uoraginis fossa tortores, rex noster hodie de inferis triumphator & laureatus exiuit, nec candidatū officium defuit: sed læta cum principe suo, omnis beatorum turba processit: sicut in euangelio scriptum est: Quia resurgente domino, multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt cum eo: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Repedat igitur ad stadium suum triumphator iterum uiuus, ut nouerit omnis mundus, quia rediuit ab inferis Christus. Glorientur ergo credētes: Plaudant manibus omnes gentes, quia rex noster & in sæculo triumphauit & inferos uicit. Beneficia dei nostri cū magna atq; mirifica sint: tamē nec noua probātur esse, neq; subita: sed ab initio sæculi & prædicta sunt oraculis, & præfigurata mysterijs. Sacram domini passionem ab ipsis mundi coalescentis exordijs, ueteris testamēti responsa cecinerunt: & ideo Christum dominum prædicatum, ac enunciatum suis fidelibus apparere: ex ipsorum libris & uoluminibus asserimus. Validis absq; dubio nititur priuilegijs, qui causam suā de aduersarij asserit instrumentis: speciosa uictoria est contrariā partem chartulis suis, uelut proprijs laqueis irretire: & testimoniorum suorū uocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, ut oppugnationis tui argumenta, tuis probentur utilitatibus militare. Itaq; in domini nostri persona, dum ex Adæ primi hominis costa mater cunctorum uiuentium Eua producit: ex huius sacro latere, & salutaris uulnere ecclesia omnium fidelium parens, reparanda monstratur. In eius typo Abel uictus occiditur: & innocens fraterna tāq; Iudaica impietate mactatur. Hic idem dominus in nouissima mundi senescentis ætate per figuram beati Abrahamæ lōgæui patris offertur ad uictimā: quo tempore dum nouo sacrificio in unici filij sui iugulum pius parricida consurgit, ex improuiso aries oculis eius apparuit: sicut eloquitur sermo diuinus: Et uidit Abraham arietem inter uepres hærentem cornibus. Inter uepres inquit. Requiramus quæ ista sit nouitas: id est, in multitudine circūstantium peccatorū: hærentem cornibus: id est, ad crucis cornua clauorum cōfixione pendentem: sicut in alio loco legimus: Cornua in manibus eius sunt. Hoc ideo, quia uenerandas manus eius patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo sermo innocentia & iusticia author illustrus est. Sed aliud introspicere debemus quidnam sit: quod Isaac a patre altaribus admonetur, ac subito aries pro eo nō mutata, sed duplicata oblatione supponit. Gemina hic adoranda substantia redemptoris ostenditur. Dei em̄ unigenitus offertur & uirginis primogenitus immolatur. Hoc quoq; dominicæ passionis præfigurabat insignia: quod legimus beatum Helisæum sepulchro conditum, ingesto a latronibus cadauere intra tumultum suum corpus extincti tactu sacri corporis suscitasse. Quis hic alius præfigurabatur, nisi dominus noster Iesus Christus, qui resurrectionem de morte largitur, & uitam sepultus operatur. In latronibus, etenim mūdum, in

A mundum: in prophetæ uirtutibus, Christum dominum recognosce. Adhuc celeberrime per scripturas sanctas, etiam in prophetæ Ionæ laboribus & erumnis, Christi passio ac resurrectio præsignantur. Hic Ionas (quod fidei uestre non arbitramur incognitum) typum domini gessisse præscribitur. Ipse enim dominus dixit: Sicut fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hic inquam Ionas ad prædicandum Niniuitis iræ coelestis offensam domino iubente dirigitur: præscius tristem sententiam propheta populi conuersione uacuandam: nauim profugus quæ Tharsum petebat ingreditur: sed nautis exorta tempestate turbatis, sorte fluctibus datur, & faucibus ceti piscis demersus excipitur. Sed pisce illesum eructante depositum, tertia die terris refunditur. Videte dominum etiam in ueteri testamento in serui forma mirabiliter apparere: uidete quomodo se ante actis sæculis indicauit, secundum seruilis formæ humilitatē uenturū. Ionas iram dñi prædicaturus ad magnā Niniuitarū destinat urbē, dicturus, Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Et Christus ad mundi mittitur ciuitatem, ut diem salutis & prænitum iudicii tempus annunciet. Ionas nauim expetit, Christus ecclesiam. Ionas fluctibus agitur, Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Ionas perditum detur, nauis periculum non sedatur. Sic non liberatur ecclesia, nisi Christi morte saluetur. Nautæ dimissuri Ionam, tamen uerentur & dicunt: Dñe ne des super nos sanguinem innocentem: nōne uobis uidetur nautarum imprecatio Pilati esse confessio? Qui tradit Christum: & tamen lauat manus suas, & dicit: Mundus ego sum a sanguine iusti huius: quæ congrue per personam gentile fides gentiū prædicatur. Dicit itaq; Ionas in oratione sua: Tolle igitur domine animā meam, quia melior est mihi mors quæ uita. Dicat hoc nobis dominus noster Iesus Christus: quia melior est mihi mors quæ uita: id est, uiuens unam Iudæorum gentem saluare non potui, moriar ut uniuersus mūdus mea morte saluetur. Ionā cetus piscis excepit immersum, sed non contigit deuoratū: & quæ malicia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit, plenis uisceribus famā patitur, & in prædā quā absorbuit, nil sibi licere mirat. Quis est iste qui inter auidos rictus absumi potest, cōsumi nō potest? Cibus est, corruptio nō est. Tradit perditionis pfūdo & seruatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui uastissimos sinus periculorum totus ingreditur, & sub altitudine conclusus, immēsa atq; mortifera uitali aere pascitur: & dimissus in alienam rerum naturam in uitæ exilium cū uita peregrinatur, & mortis superstes annunciat mundi salutem. Puto quod hic est dominus noster Iesus Christus, quem sæua mors, inexplēbilis belua, in escam suam rapuit, & prædā suam captiuam contremuit: quem etsi terra sorbuerat crucifixū: tamen quæ nō inuenerat reum, nō poterat tenere damnatū, quia culpā nō facit pœna, sed causa: quasi solitū cibum perditū in origine mundi hominē deuorauit: sed magnā esse cibi ipsius dignitatē præfocata cognouit. Atq; ideo diuinus sermo commemorat & præcepit pisci, & euomuit Ionam in aridam. Præcepit ergo bestia, præcepit morti semper esurienti: præcepit abyssi & inferno, ut mundo restituant saluatorem. Euomuit autem hoc debemus accipere, quod ex imis uisceribus mortis, uictrix uita re-meauerit: atq; eam ex imis præcordijs inferni perditio exulcerata reddiderit. Videmus itaq; in prophetæ afflictionibus apertissime præfiguratam, pariter & mortem & resurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in seruo, credere non cuncteris in domino. Quæ cū ita sint, per-spice homo quantū ualeas, & perpende quid debeas: per-spice quantū ualeas, ut tandē uilis esse tibi desinas: ut uel per hoc erubescendis subiacere uitijs dedigneris, dum generositatem tuā de creatoris ac reparatoris dignitate metiris. Habet causas quibus te ipse confundat: cur indignis dominis uicto corde subdatur, cui gloria æterna promittitur: & sic gemino priuilegio, qui dudum diuinæ imaginis participatione fulgebas, efficeris etiā cōmerciū nobilitate præciosus. Unde quæ fortis esse possis contra hostem tuum: interroga statum tuū, quod tibi dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem, & spirituales nequitias superandas liberam contulit facultatem: ac sic impossibile nō putes ut transferri obtineas in angelicas beatitudines: curi in hoc sæculo angelicas deuiceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectū faciat uita, quæ uel factura probat illustrē protulisse uel gratia: sed cursum fidelis Christi sanguis ad supna finaliter extollat. Nā q se coelesti p̄cio uident redēptos, ad coelestia non dubitent prap̄paratos.

Video